

DISTINCTIO X

Secundae particulae tractatus de origine divinarum personarum resoluta divisio, et praesentis distinctionis non inutilis subdivisio, in qua sermo de Spiritus Sancti processione inchoatur.

NUNC POST FILII etc. Postquam magister determinavit de filii in divinis generatione, hic incipit determinare de Spiritus Sancti processione, et dividitur in duas partes, nam primo determinat de Spiritus Sancti a patre et filio aeterna emanatione. Secundo de eiusdem Spiritus Sancti temporali processione ibi. Praeterea diligenter etc. Prima in duas, quia primo determinat de processione Spiritus Sancti secundum se, secundo determinat de ea comparative, puta comparando Spiritus Sancti processionem ad filii generationem. Ibi, Item quaeritur. Prima in duas, nam primo tractat magister de modo, quo Spiritus Sanctus procedit, secundo de principio a quo procedit, ibi, Hic dicendum est etc. Prima in duas, nam primo tangit modum procedendi ipsius Spiritus Sancti, secundo ostendit cur ipse solus nominator nomine communi ibi, Hic notandum etc. Prima in duas, quia primo ostendit quod Spiritus Sanctus proprie dicitur amor, et per consequens habetur quod per modum voluntatis procedit. Secundo, sanctorum auctoritatibus probat, quod dixit ibi, Nunc, vero. Hic quaero.

Quaestio I

An Spiritus Sanctus procedat per modum voluntatis?

Licet spiritus non simpliciter dici videatur, ut tamen a spiratione ducitur, proprie tertiae personae in divinis convenit, quae quidem per modum voluntatis, ut voluntas libertatem complacentiae concernit, immutabiliter procedit; unde cum in hac productione perfecte adaequet suum proprium principium productivum, sequitur quod plures Spiritus Sancti esse nequeant, solus igitur Spiritus Sanctus, cum sit amor perfectus, erit proprie nexus patris et filii.

UTRUM SPIRITUS SANCTUS procedat per modum voluntatis? Et videtur, quod non, quia si procederet per modum voluntatis, tunc possent esse plures Spiritus Sancti, immo quasi infiniti. Consequens est falsum. Probo consequentiam, quia voluntas sequitur formam apprehensam, cum ergo tales formae possent apprehendi infinitae, tales formae possent esse infinitae, ergo etc. CONTRA, illud quod procedit ut amor, procedit per modum voluntatis. Spiritus Sanctus procedit ut amor, ut dicunt sancti doctores, ergo etc. Hic primo videndum est, utrum aliqua divina persona proprie dicatur Spiritus Sanctus? Secundo, utrum talis persona procedat per modum voluntatis? Tertio dato, quod emanet per modum voluntatis, utrum tales personae possent esse plures? Et quarto propter verba beati Augustini videndum est, utrum Spiritus Sanctus proprie dicatur nexus patris et filii?

QUANTUM AD PRIMUM est advertendum quod grammaticaliter loquendo spiritus uno modo dicitur a spiritualitate, alio modo a spiratione. Primo modo est nomen commune non solum omnibus divinis personis sed etiam omnibus substantiis separatis, ac etiam multis corporibus. Corpora enim subtilia saepissime in philosophia spiritus appellantur et licet illo modo sumptum hoc nomen ‘spiritus’ non sit nomen proprium alicuius divinae personae, est tamen appropriatum ex usu Scripturarum tertiae personae, cuius ratio posset esse, quia in rebus nobis notis, illud spiritus appellamus, in quo virtutem penetrativam et impulsivam percipimus. Sed amore nihil est penetrativius et impulsivius, ergo persona divina, quae est ipse amor productus appropriate dicitur spiritus. Etiam appropriate dicitur sanctus. Nam secundum Eustratium super I.

Ethicorum iustum consistit in aequalitate ad alterum, sanctum autem in ordine ad Deum. Cum ergo dona, quibus in Deum ordinamur, attribuantur amoris divini, ergo illa persona, quae est ipse amor productus in divinis, appropriate non solum dicitur spiritus, sed etiam dicitur Spiritus Sanctus. Sed, si hoc nomen 'spiritus' dicitur a spiratione, tunc non solum appropriate, sed etiam proprie convenit personae praedictae, quia illa persona proprie dicitur spiritus, prout spiritus dicitur a spiratione, cuius personalis proprietas est ipsum spirare. Sed persona divina praedicta est huiusmodi, ergo etc.

QUANTUM AD SECUNDUM principale, utrum Spiritus Sanctus procedat per modum voluntatis, dico quod voluntas divina potest dupliciter considerari. Uno modo ut concernit libertatem contingentiae, sive contradictionis. Alio modo, ut concernit libertatem complacentiae et dilectionis cum necessitate immutabilitatis, sicut Deus cum maxima complacentia et liberrime vult suam bonitatem, et tamen vult eam necessitate immutabilitatis, quia non potest eam non velle. Primo modo, Spiritus Sanctus non procedit per modum voluntatis, quia ut sic, solae creaturae procedunt, sed secundo modo spiritus sanctus proprie procedit per modum voluntatis, quia sicut se habet verbum seu sapientia genita in divinis ad intellectum, sic se habet Spiritus Sanctus, qui est amor productus, ad voluntatem. Sed, ut inferius patebit, verbum divinum procedit per modum intellectus immutabiliter, ergo etc. SED CONTRARIUM istius conclusionis quidam doctor ponit, et hoc modo procedit. Primo enim probat quod filius in divinis non producat per actum intellectus, nec spiritus sanctus per actum voluntatis. Secundo dicit quod filius non procedit per modum intellectus, nec Spiritus Sanctus per modum voluntatis, immo, ut dicit, circumscriptis per intellectum a natura divina intellectu et voluntate cum actibus suis, adhuc esset in divinis generatio filii et spiratio Spiritus Sancti. PRIMUM probat sic, quia si sic, tunc aut tales actus essent ipsae productiones personarum, aut huiusmodi actus essent principia talium productionum. Primum dici non potest propter tria. 1. Primo: quia productiones personarum sunt actus notionales, sed intelligere et velle sunt actus essentiales, ergo intelligere et velle non sunt ipsae productiones. Utraque praemissarum, [151] ut dicunt, est propositio per se nota. 2. Secundo, quia cuicumque convenit aliquis actus, quo persona producit, sibi convenit producere personam, ad quam talis actus terminatur, sed intelligere et velle convenit omnibus divinis personis, ergo quaelibet divina persona generaret filium et spiraret Spiritum Sanctum. 3. Tertio, quia productiones filii et Spiritus Sancti differunt realiter, sed intelligere divinum et velle non differunt realiter, quia nec re absoluta, nec re relata. Nec potest dici secundum scilicet quod tales actus sint principia talium productionum, quia illud, cuius conditio est opposita faecunditati, non potest esse principium actus, quo aliquid producit, quia omnis productio provenit ex faecunditate. Sed conditio actuum volendi et intelligendi est opposita faecunditati, quia ex ipsis nihil constituitur, ut patet 9. Metaphysicae. SECUNDUM EORUM dictum probant sic. Secundum idem proportionabiliter faecunditas convenit Deo et creaturis, sed faecunditas producendi convenit creaturis non ex eo, quod sunt intelligentes et volentes, sed per aliquid prius et communius. Multa enim intellectu carentia generant et producant, ergo natura divina, licet sit intelligens et volens, ex hoc tamen nulla faecunditas inest sibi ad producendum quamcunque personam. Et addunt isti, quod sicut calor ignis si esset intelligens et volens causaret calorem sibi simile ex faecunditate naturae suae sicut nunc facit, nec ad hoc aliquid cooperaret suum intelligere et velle, sic natura divina etc. 2. Praeterea qualis est ordo rerum inter differentia realiter, talis est ordo rationum inter differentia secundum rationem, sed ubi intellectus et voluntas differunt a natura, ibi productio est realiter vi naturae et non vi intellectus aut voluntatis, ergo et in Deo etc. 3. PRAETEREA, ex dictis aliquorum aliorum potest hoc idem argui sic. Filius quia est consubstantialis patri et virtute suae productionis sibi communicatur natura, ideo dicitur procedere per modum naturae, sed Spiritus Sanctus non minus est patri consubstantialis quam filius, nec sibi minus divina natura communicatur, ergo etiam procedit per modum naturae. 4. Praeterea, Spiritus Sanctus procedit

per modum alium quam creatura. Sed creatura procedit per modum voluntatis, iuxta illud Hylarii in libro De syno. Omnibus creaturis substantiam voluntas Dei attulit, filio vero natura dedit. Et confirmatur quia productio Spiritus Sancti maiorem convenientiam habet cum productione filii, quam cum productione creaturae, quia productiones differunt secundum differentiam terminorum productorum. Maior autem differentia est inter spiritum sanctum et creaturam, quam inter spiritum sanctum et filium. Sed productio filii est per modum naturae et productio creaturae per modum voluntatis, ergo etc. 5. Praeterea, intellectus et voluntas se habent ad opposita, cum sint potentiae rationales, sed productiones divinae sunt determinatae ad unum. 6. Praeterea, si aliqua determinata perfectio puta intellectus vel voluntas esset ratio producendi aliquam divinam personam, tunc nulla perfectio esset in illa persona, nisi illa, secundum quam producitur, quia ipsa perfectio determinata non posset esse ratio communicandi alias perfectiones, quia eas nec formaliter, nec virtualiter contineret. Etiam quia productum non potest excedere suum principium productivum. Sed consequens est falsum, quia nulla perfectio potest deficere alicui divinae personae. 7. Praeterea, principium quo producitur aliquid naturale est ipsa natura. Sed Spiritus Sanctus est productum naturale, cum sit producenti connaturale, ergo etc. 8. Praeterea, actus voluntatis non potest esse nisi respectu praecogniti, si ergo Spiritus Sanctus producitur per modum voluntatis, ipse prius erit cognitus quam productus, sed illa cognitio non posset esse abstractiva, quia omnis cognitio, quam habet persona divina respectu divinorum, est intuitiva. Cum ergo intuitiva terminetur ad rem ut actu existit in propria natura, ergo Spiritus Sanctus antequam per voluntatem produceretur existeret, quod est impossibile, ergo etc. 9. Praeterea, quae procedunt per modum voluntatis sunt artificata, sed etc. SED ISTA opinio. a dictis sanctorum doctorum videtur expresse deviare. Beatus enim Augustinus saepius Spiritum Sanctum nominat amorem sive caritatem, iuxta illud 6. De Trinitate. Spiritus Sanctus est aliquid commune patris et filii, quae communio consubstantialis et coaeterna, si amicitia convenienter dici potest, dicatur. Sed aptius dicitur caritas, ergo etc. Item 15. De Trinitate ait: Non frustra in illa trinitate solus Spiritus Sanctus caritas nuncupatur. Item, idem Augustinus in De cognitione verae vitae ait: Nihil aliud Spiritus Sanctus quam amor Dei intelligitur. Et Hieronymus Super Ps. 13 ait: Spiritus Sanctus nec pater nec filius, sed dilectio quam habet pater in filium, et filius in patrem. Idem posset deduci ex dictis ceterorum, dimitto tamen causa brevitatis. Sed constat quod amor per modum voluntatis procedit, ergo etc. 2. Praeterea isti in declaratione secundae positionis assumunt aliqua minus vera, quia illud, in cuius ratione formali includitur notitia, quae est expressiva et declarativa notitiae simplicis, non est possibile produci, nisi principio intellectivo et actu intellectuali. Sed verbum, quod est filius Dei patris est huiusmodi, ut patet per Richardus 2. De Trinitate, ubi sic ait: Recte verbum Dei patris dicitur, per quem patris, qui fons sapientiae est, notitia manifestatur. Et infra eodem capitulo Dei filius verbum patris dicitur, quia a solo patre oritur, per quem paterna claritas manifestatur, in patre omnis veritatis conceptio, in verbo omnis veritatis prolatio. 3. Praeterea, quod est ipse actus intelligendi vel terminus constitutus per actum intelligendi, necessario requirit intellectum, tanquam suum proprium principium productivum, verbum est huiusmodi, ergo circumscripto intellectu non posset esse verbi generatio, sicut isti assumpserunt. Et eodem modo potest argui de amore qui est Spiritus Sanctus respectu voluntatis. AD PRIMUM ergo eorum argumentum dico quod intelligere et velle possunt dici productiones verbi et Spiritus Sancti. Ad primam probationem dico quod intelligere et velle divinum possunt sumi vel essentialiter vel notionaliter, et prout sumuntur essentialiter sunt actus essentielles, prout autem sumuntur notionaliter sunt actus notionales. Ad secundum dicendum, quod soli patri convenit intelligere notionale, quo intelligere verbum producitur et soli patri et filio convenit velle notionale, quo amor personaliter subsistens producitur. Ad tertium dicendum quod intelligere notionale et velle notionale differunt realiter eodem modo, quo ipsae emanationes differunt. Etiam falsum assumunt in probatione alterius partis, cum dicunt quod conditio actuum intelligendi et volendi est opposita faecunditati, quia etiam secundum philosophum ex

frequentatis actibus generatur habitus, quamvis enim per actus immanentes maxime ut speculativi sunt, non constituatur aliquid ad extra, tamen ad intra potest dici aliquid constitui, sicut iam patuit de habitu. Est tamen hic advertendum, quod intelligere notionale aliqualem similitudinem habet cum actu transeunte et cum actu immanente. Nam in eo, quod terminatur ad terminum supposititaliter existentem extra personam producentem, in hoc aliquam similitudinem habet cum actu transeunte. Sed in eo quod talis terminus est eiusdem naturae cum producente, aliquo modo convenit cum actu immanente, quia quicquid per actum intellectus constituitur, ut est manens, totum manet in intellectu et est intellectualis naturae, sive sit verbum, sive habitus, sive quicquid aliud sit et eodem modo est de velle notionali. AD PRIMUM secundae suae positionis dicendum quod quamvis creaturis non conveniat producere per intellectum et voluntatem talia, quae non habent ordinem per se ad intellectum, et voluntatem; tamen impossibile est aliquam creaturam generare verbum intellectuale sine intellectu, vel producere amorem perfectissimum sine voluntate. Sic in proposito, quia filius Dei est verbum intellectuale et [152] Spiritus Sanctus caritas, vel amor sive dilectio, ideo eorum productiones debent esse per modum intellectus et voluntatis. Unde si calor ignis haberet intellectum et voluntatem, ut tu ponis, quamvis calefaceret, tunc sicut nunc, tamen si verbum vel amorem produceret, certe non produceret sicut nunc, sed necessario in talium productione intellectus et voluntas essent sibi principium et ratio producendi, sic etc. Ad secundum dicendum, quod etiam in his ubi intellectus et voluntas differunt a natura, verbum et amor procedunt ab intellectu et voluntate. Ad tertium dicendum quod quamvis tam filius quam Spiritus Sanctus procedant a natura, quia intellectus et voluntas per modum, quo procedunt sunt identice ipsa divina natura, filius tamen magis dicitur procedere per modum naturae quam Spiritus Sanctus. Primo, quia filius generatur, generatio autem est opus naturae, ut ait Damascenus. Secundo, quia natura est determinata ad unum, et ideo in generatione filii, qui procedit ab una persona tantum magis observatur modus naturae quam in productione Spiritus Sancti, qui procedit a duobus. Ad quartum dicendum quod aliter procedit creatura per modum voluntatis, et aliter Spiritus Sanctus, quia voluntas divina est principium creaturae secundum quod habet libertatem contingentiae et contradictionis, et ut est domina sui actus, ita quod potest producere et non producere, iuxta beneplacitum voluntatis, sed ut est principium Spiritus Sancti est libera libertate complacentiae, quae concernit necessitate immutabilitatis. Ad confirmationem dico quod maiorem convenientiam habet productio Spiritus Sancti cum productione filii, quam cum productione creaturae, quia productio filii et productio Spiritus Sancti sunt ambae necessariae et immutabiles, quia quamvis Spiritus Sanctus procedat per modum voluntatis, tamen ea necessitate et immutabilitate procedit, qua pater diligit filium et filius diligit patrem; creatura vero contingenter procedit. Ad quintum patet per iam dicta. Vel dicendum quod quamvis potentiae rationales sint ad opposita respectu eorum quae sunt ad finem determinate, tamen volunt ipsum finem. Ad sextum dicendum, quod si intellectus et voluntas essent huiusmodi principia ut praescindunt a natura, et cum exclusionem expressam ipsius naturae, tunc bene procederet argumentum. Sed sic non dicimus, immo praesupponimus intellectum et voluntatem in divinis esse penitus idem realiter, quod ipsa divina natura, nec ipsam naturam excludimus in praedictis productionibus, immo dicimus quod ipsa natura est principium utriusque productionis, unius tamen ut habet modum intellectus, eo quod talis productio terminatur ad verbum, et alterius ut habet modum voluntatis, eo quod talis productio terminatur ad amorem. FORTE DICETUR mihi, tu dicis quod Spiritus Sanctus producit amor quod pater diligit filium et filius patrem, et iterum dicis quod productio Spiritus Sancti terminatur ad amorem, ergo amor terminabitur ad amorem, et sic amoris est amor. RESPONDEO quod illud est propter penuriam vocabulorum, quia ubi ex parte intellectus habemus duo vocabula, puta intelligere, quod est ipsa actio intellectus, et verbum, quod est terminus talis actionis, ibi ex parte voluntatis habemus solum unum, ideo amor sumitur tam pro actu, quam pro termino ipsius actus, propter quod Spiritus Sanctus dicitur quandoque produci

amore, quandoque dicitur amor productus. Ad septimum dicendum quod quamvis spiritus sit productum naturale, tamen quia amor est, ideo per modum voluntatis procedit. Ad octavum dicendum quod actus voluntatis potest comparari ad obiectum et ad terminum per ipsum productum. Primo modo semper est respectu cogniti, sed non secundo modo, unde nisi Deus cognosceret suam bonitatem, quae in productione Spiritus Sancti est obiectum divinae voluntatis, ipse nunquam produceret Spiritum Sanctum, sed ex hoc non oportet quod Spiritus Sanctus sit cognitus, cum in tali productione ipse non sit obiectum voluntatis, sed terminus actionis ipsius voluntatis. Ad nonum dicendum quod quamvis ea, quae sic procedunt a divina voluntate, quod in aliena natura subsistunt, possint dici artificiata, non tamen Spiritus Sanctus, qui sua processione eandem naturam numero capit cum patre et filio qui ipsum producant.

QUANTUM AD TERTIUM principale, dato quod Spiritus Sanctus procedat per modum voluntatis, utrum tales personae possent esse plures. Dico quod quamvis Spiritus Sanctus per modum voluntatis procedat, non possunt tamen esse plures Spiritus Sancti, quia nullum productum perfecte adaequans per suam productionem proprium suum principium productivum, quantum ad modum suae emanationis, potest multiplicari; da oppositum, tunc principium per tale productum non fuisset adaequatum, sed Spiritus Sanctus adaequat naturam divinam quantum ad emanationem immutabilem, qua aliquid immutabiliter producitur per modum voluntatis. Istam minorem probo sic, quia si eo modo, quo procedit Spiritus Sanctus ab eodem principio procederet aliud suppositum, tunc Spiritus Sanctus non esset infinitum productum, nec infinitae perfectionis; infinitum enim productum adaequat infinitum principium productivum saltem quo ad suum modum producendi. 2. Praeterea, in divinis suppositis non est multitudo, nisi secundum oppositas relationes, quia ut ait Anselmus¹, omnia in divinis sunt idem ubi non obviat relationis oppositio. Sed si plura supposita procederent per modum amoris seu voluntatis, tunc non caperent oppositas relationes, quia quaecunque secundum eundem modum procederent, caperent formas similes et non oppositas, ergo talia supposita essent plura et non plura, quod est contradictio. SED FORTE dicitur, si duo angeli, vel duo homines mutuo se diligunt, ipsi non eliciunt, sive producant eundem amorem, cur ergo pater et filius mutuo se diligentes alium amorem non producant, cum sint realiter distincta supposita? ITEM, SICUT ea, quae sic producantur, quod in materia recipiuntur, multiplicantur multitudine principii receptivi, sic ea, quae taliter producantur, quod in nulla materia recipiuntur, debent multiplicari multitudine principii productivi. Sed pater et filius, qui sunt duo distincta supposita, producant Spiritum Sanctum in nulla materia receptum, ergo non erit unus Spiritus Sanctus. ITEM, SPIRITUS SANCTUS non est minoris virtutis quam ceterae divinae personae, sed ceterae divinae personae sunt productivae ad intra, ergo et ipse Spiritus Sanctus. Sed non producet seipsum, cum nihil possit seipsum producere, ergo producet alium Spiritum Sanctum. RESPONDEO ad primum, quod plures homines habent plures amores, quia absolute distinguuntur et habent plures voluntates, in quibus voluntatibus distinctis distincti amores continentur, sed pater et filius se diligunt secundum unam et eandem voluntatem. AD SECUNDUM dico quod pater et filius quamvis suppositaliter sint distincti, tamen in productione Spiritus Sancti concurrunt ut unum principium ratione unius virtutis spirativae, quae est divina essentia et ratione unius spirationis activae, quae una et indivisa est in patre et filio, et ideo cum sint unum principium Spiritus Sancti spirant unum Spiritum Sanctum, et non plures. AD TERTIUM dico quod Spiritus Sanctus non est minoris virtutis ceteris divinis personis, quia habet in se eandem potentiam sive virtutem spirativam, quam habet pater et filius, scilicet divinam essentiam per modum voluntatis immutabiliter diligentis divinam bonitatem, non tamen spirat, sive non prorumpit in actum productionis alterius Spiritus Sancti, quia huiusmodi virtutem non habet sub respectu necessario requisito ad actum spirandi, puta sub

¹De processione Spiritus Sancti, cap. 2

spiratione activa, sed potius habet talem virtutem sub opposito respectu, puta sub spiratione passiva.

[153]

QUANTUM AD QUARTUM principale, utrum Spiritus Sanctus proprie dicatur nexus patris et filii? Dico quod Spiritus Sanctus proprie dicitur nexus patris et filii, quia illud, quod est perfectus amor aliquorum, hoc proprie dicitur nexus eorum, sed Spiritus Sanctus est perfectus amor patris et filii. Maior patet per Dionysium 4. De divinis nominibus ubi dicit quod perfectus amor transformat amantem in amatum. Ex quo patet quod amor habet virtutem maxime connexivam. Minor patebit inferius. 2. Praeterea, illud, in quo consistit unitas et communio aliquorum, idem videtur esse nexus eorum. Sed Beatus Augustinus 6. De Trinitate dicit Spiritum Sanctum esse communionem et unitatem patris et filii. FORTE DICETUR contra Augustinum quod unitas patris et filii consistit in natura divina, in qua realiter conveniunt, et non in Spiritu Sancto, a quo realiter differunt. 2. Praeterea, contra conclusionem arguitur hic. Nexus videtur esse eorum, quae secundum se sunt separata, sed trinitas personarum est inseparabilis, ut ait Augustinus 15. De Trinitate. 3. Praeterea, semper nexus mediat inter ea quae nectit, sed filius qui a patre productus producit Spiritum Sanctum est media in trinitate persona. 4. Praeterea, omne quod nectit aliqua videtur habere rationem principii aliquo modo super illa. Sed Spiritus Sanctus nullo modo habet rationem principii super patrem et filium, cum ipse sit productus a patre et filio, ergo etc. AD PRIMUM dicendum quod quamvis pater et filius differant personaliter a Spiritu Sancto, tamen in hoc uniuntur Spiritu Sancto, quod diligunt se Spiritu Sancto, qui est mutuus amor patris et filii, et hoc sufficit ad illud propositum ut Spiritus Sanctus proprie dicatur nexus. In essentia autem pater et filius non sic uniuntur, sed potius identificantur, propter quod essentia divina proprie non habet rationem nexus respectu divinarum personarum, quia secundum quod aliqua sunt idem, ut sic non dicuntur connexa. Nexus enim coniungit ea, quae distincta sunt, propter quod oportet quod nexus sit distinctus ab his quae nectit, et quae eidem sunt eadem, illa inter se sunt eadem, cum ergo divina essentia sit eadem patri et filio et Spiritus Sanctus differt ab utroque, ideo Spiritui Sancto convenit ratio nexus respectu patris et filii et non essentiae. Ad secundum dicendum quod non est necesse ea, quae nectuntur secundum se esse separata, quia sufficit quod sint distincta; modo pater et filius, qui amore nectuntur Spiritu Sancto, quamvis non sint separati, sunt tamen personaliter distincti. Ad tertium dicendum quod quamvis nexus, ut in proposito accipitur, sit medium inter amans et amatum, tamen non est medium inter producatum et productum per modum suppositi producentis et producti, quale medium est ipse filius in divinis. 4. Ad quartum dicendum, quod quamvis maior sit vera de eo, quod nectit efficienter et per modum causae moventis, non tamen est vera de connectente per modum amoris, quo modo nectuntur spiritu sancto pater et filius. AD ARGUMENTUM principale nego consequentiam. Ad probationem dico quod voluntas non est principium Spiritus Sancti, prout apprehenditur quaecunque forma, sed tantummodo ad apprehensionem unius formae, quae est bonitas Dei infinita, quamvis consecutive ad apprehensionem illius divinus intellectus apprehendit omnem formam.